



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CXXXV. Joannes XIII. Anno Christi 965. Ottonis 4. Nicephori Phocæ 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

CXXXV.

JOANNES XIII.

ANNO CHRISTI 965.

OTTONIS 4. NICEPHORI

PHOCÆ 3.

**J**OANNES XIII. Romanus, Episcopus Narniensis, Ottone assente, anno 965, cooptatus est, & Kal. Octobr. Pontifex inauguratus.

Bar. an. In odium Procerum Romanorum  
965. §. 4. incurrit, quod elatiore animo, quam  
Pag. §. par erat, eos premeret. Quamobrem  
2. 3. seditione factâ à Rotifredo Urbis  
præfecto, exturbatus Pontificatu  
Capuam se recepit, ubi à Pandulpho  
Capuano Principe habitus est libe-  
raliter, ab eoque rogatus, tunc pri-  
mum in eadem Civitate Archi-Episcopa-  
tum constituit, consecrato ibi Joanne  
fratre ejusdem Principis Archi-Episcopa-

(1) Id Otto ut audivit, in Italiam  
Bar. an. contendit ad Pontificem restitu-  
966. §. 1. dum dignitati pristinae. Romani  
Pag. §. 1. metu subacti Joannem revocârunt.  
Nec propterea fuit ipsis impune.  
Nam Imperator, ne alii in poste-  
rum talia auderent, capite damnatis  
principibus seditionis, insigne do-

cumentum omnibus dedit. Compositis rebus Romanis, unâ cum Pontifice Ravennam commigravit. Habitum ea in Urbe Concilium, in quo Imperator Apostolico Joanni Urbem & terram Ravennatum, aliâque complura, multis retrò temporibus Romanis Pontificibus ablata, reddidit, eumque inde Romam cum magna letitia remisit. (2) In Urbem reversus, filium ejus Ottonem Germaniæ Regem, ad referendam, credo, gratiam, solemniter coronatum, declaravit consortem Imperii. Præter hæc invenio apud quosdam, Joannem omnium primum Lateranensis Ecclesiæ campanam sacris ceremoniis consecrâsse, morémque eum posteros accepisse. Ego tamen magis auctores secutus, (3) ante Joannem campanas consecrari cœptas, magis credo. Ejusdem Pontificatum insignem fecit Polonorum ad Christi fidem conversio, ad quos confirmandos Ægidium Episcopum Tusculanum legavit. Obiit anno 972. VIII. Idus Septembr. post annum sextum, mensem undecimum, & diem quintum, quàm Romanæ Ecclesiæ præfectus erat.

Bar. an.

967. §.

1. 2.

Pag. §. 1.

Bar. an.

972. §. 1.

Pag. §. 1.

Mm 2

AN.

## ANNOTATIONES.

(1) Leo Ostiensis Chron. Casin. lib. 2. cap. 19.

(2) Continuator Reginonis extremo libro 2. inter Scriptores Rer. Germanic. Historii tom. 1. pag. 112.

Hieronymus Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. pag. 261. ita explicat: *complura alia, quae Berengarii occupaverant.*

(3) Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 22. §. 7. Roccam De Campanis cap. 6. Edmundum Martene De antiquis Ecclesiarum ritibus lib. 2. cap. 21.

Ritus verò consecrandi campanas *baptizamus* vulgò dicitur, non quod revera campanæ baptizentur eo baptismo, qui confertur in remissionem peccatorum, ut garrunt Heterodoxi, sed quod in iis consecrandis adhibeantur ceremoniæ præcipuæ, in administratione Sacramenti baptismi adhiberi solitæ, ablutio nimirum, unctio, nominis impositio. *In ipsa verò consecratione, ut ait Bona, nomine alicujus Sancti Campana insignitur, sive ut à cæteris proprii nomine distinguatur, sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi hujus ritus institutores, si voce alicujus Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur.* Quod colligitur ex cap. 14. Concilii Coloniensis anno 1536. celebrati, apud Labbeum tom. 14. Conc. pag. 549. Vide Baronium ad an. 968. §. 93. Bellarminum de

de Rom. Pont. lib. 4. extremo cap. & an-  
notat. 2. ad Sabinianum.

## CXXXVI.

## BENEDICTUS VI.

ANNO CHRISTI 972.

OTTONIS II. JOAN. TZIMIS-  
SCIS 4.

BENEDICTUS VI. Hildebran-  
di filius, Romanus, post diem  
Novembris duodetrigesimum anno

972. Pontifex consecratus est. (1) Bar. an.

Hunc anno 974. in vincula conje- 972. §. 2.

cit, jugulavitque Franco Cardinalis Pag. §. 1.

nequissimus, Ferrutii filius, Roma- Bar. an.

nus, qui Pontificatum usurpavit no- 974. §. 1.

mine Bonifacii VII. sibi imposito. Pag. §. 1.

At mense vix exacto, metuens sibi  
à Comitibus Tusculanis, expilatâ Va-  
ticanâ Basilicâ, profugit Constanti-  
nopolim.

## ANNOTATIONES.

(1) Panvinius in Chronico Ecclesiastico  
pag. 82. Baronius, & alii Joanni XIII. sub-  
rogant Donum II. Pagius uterque Benedi-  
ctum VI. His magis assentior, quia aucto-  
res habent Sigebertum, & antiquissimos  
Romanorum Pontificum catalogos.

M m 3

CXXXII.